Lucas autem plures; & à *Zorobabele* usque ad *Josephum Lucas* referat octodecim, *Mathæus* duntaxat novem. Inquirendum *tertiò*, cur & quomodo alios progenitores, aliásque personas recenseat *Mathæus*, & alias omninò *Lucas*? Sic *Lucas*, *Salathiëlem* facit filium *Neri*, *Mathæus* asserit esse filium *Jechoniæ*: *Lucas* nominat *Resam*, filium *Zorobabelis*, *Mathæus* eundem adscribit *Abiud*, quà Patri; *Lucas* Patrem S. *Josephi* appellat *Heli*, *Mathæus* dicit *Jacobum*. En! quot & quantæ in intricatissimâ hacce materiâ difficultates! Quæ tamen, si non omnes, saltem ferè omnes, ab unâ dependent solutione, per quam, & ex quâ operosum non erit reliquis satisfacere. .... Expendamus præcipuas, magìsque inter alias celebres, Patrum, & interpretum, círca propositas difficultates, sententias.

CAPUT II.

Examinatur Systema Julii Africani.

---

§. VII.

Julius Africanus, qui tertio Ecclesiæ sæculo floruit, in Epist. ad *Aristidem*, quam refert *Eusebius* L. I. H. E: C. 6., hanc concordiæ tentandæ rationem tradidit

didit. Docet enim *Mathæum* texere Genealogiam Christi *naturalem*, *Lucam* verò *legalem*, adeoque mirum non esse, quòd diversa utrimque occurrant nomina, diversúsque Generationum, ac personarum numerus. Rem ita explicat *Africanus*: *Mathæus* à *Davide* per *Salomonem*, Genealogiam suam deducit ad *Mathan*: *Lucas* eandem à *Davide* per *Nathan*, deducit ad *Melchi*. Hoc posito ostendit, quomodo *Joseph* secundùm *Mathæum*, potuerit patrem habere *Jacobum* descendentem per *Salomonem*, & secundùm *Lucam*, patrem habere *Heli* descendentem per *Nathan*. Diversis namque temporibus *Mathan*, & *Melchi* habuerunt unam, eandémque uxorem, nomine *Estham*: hanc primò duxit *Mathan*, & ex eâ genuit *Jacob*, defuncto autem *Mathan* eandem duxit *Melchi*, atque ex eâ genuit *Heli*. *Heli* uxorem quidem duxit, sed mortuus est sine liberis. Itaque *Jacob*, ipsius frater uterinus, relictam fratris sui *Heli* viduam, juxta legem *Deuter.* XXV. 5. latam, sibi matrimonio copulavit, semen fratri suo absque liberis defuncto suscitaturus, ex quo conjugio postmodum natus est *Joseph*, vir *Mariæ*, de quâ natus est *JESUS*..... *Hæc autem*, subdit Julius, *non à nobis ad subitum reperta, aut absque ullis authoritatibus commentata sunt: sed ipsi hæc Salvatoris nostri secundùm carnem propingui, seu studio tanti seminis demonstrandi, sive edocendi, quæ secundùm veritatem facta sunt, tradiderunt.*

§. VIII.

Sequaces hæc *Africani* sententia, paulatim nacta est plerosque Ss. Patres & Scholasticos vix non omnes; eidémque favere videtur *Mathæi* textus ipse: *Jacob genuit Joseph*, cùm *Lucas* tantùm ferat: *Joseph, qui fuit Heli*; id quod sine omni absurdo

commodè ſic reddi poteſt : *Qui ad Heli pertinebat*, quemadmodum eodem planè ſenſu in capite Genealogiæ ab eodem *Luca* adornatæ legitur : *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*, puta, qui *Adam* ex manibus Dei opificis, tanquam illius plaſma prodiit. Quapropter apertè in hoc ſyſtemate oſtenditur, quâ ratione ſecundùm *Mathæum* potuerit *Joſeph* eſſe filius naturalis *Jacobi*, & juxta *Lucam* filius legalis *Heli*, ſimúlque demonſtratur modus, quo *Mathæus* & *Lucas* ad ſpeciem diſcordes, ad concordiam facilè revocari queant.

§. IX.

Sunt interim non pauca, quæ negotium faceſſunt huic ſyſtemati. Illud certum, quod aſſignari hoc modo nequeat, ad quid Genealogia, à S. *Luca* tam operoſo conatu contexta, deſerviat. Quid enim ad veram, naturalémque *JESU CHRISTI* Genealogiam, filiatio legalis *Joſephi* conducat? Neque hoc ſatís, ſed ipſum adeò ſyſtema hoc, primâ fronte tam ſpecioſum ac plauſibile, S. *Lucæ* manifeſtè repugnat, quippe qui *Mathat*, & *Levi* conſtituit medios inter *Melchi*, & *Heli*, cùm *Africanus* parentem *Heli* proximum, habeat *Melchi*, illum ſcilicet, quem noſtra *Lucæ* exemplaria Avum ejuſdem ferunt. Adde, quòd *Eſtha* hìc impertinenter adducatur. Quamvis enim in eâ tanquam matre, coeant uterini fratres, *Jacob* & *Heli*, coire tamen illi nequeunt in *Mathat*, & *Mathan*, cæteriſque eorum anteceſſoribus, uſque ad *Davidem*. Nihil igitur hìc conferunt ad Genealogiam *JESU CHRISTI*, ita ut ex illis oſtendatur *JESUS* ex ſemine *Davidis*, ſecundùm carnem eſſe prognatus. Si enim natus ſit ex *Eſtha* & *Mathat*, idem non potuit gigni ex *Eſtha* & *Mathan*, quomodo ergò Jeſus ponitur filius tam *Mathat*, quàm *Mathan*? Tandem

ipſe *Julius Africanus* ſuæ omninò non fidit ſententiæ. Ait enim in Epiſtolâ laudatâ ad *Ariſtidem* : *Sive ita, ſive aliter ſe res habeat, dilucidiorem expoſitionem alius quiſquam non invenerit, ùt mihi quidem, & unicuique, qui æquo, candidóque ingenio præditus ſit, videtur. Eam verò ipſi quoque probate, quamvis nullo certo teſtimonio ſit firmata* &c. Ex quibus verbis ſat anxiè prolatis colligitur, eum de veritate hujus ſyſtematis ſubdubitaſſe.

§. X.

Nihil itaque moramur errata, quæ *Africano* hac in re vitio vertuntur. Credulitas viri, & temporum diſcrepantia, quæ inter cognatos *JESU CHRISTI* teſtimonium ferentes, & *Joſephi* incunabula, trecentorum circiter annorum, intercedit, multùm huc conferre poterant. Quòd autem tam multi, unanimi quaſi conſenſu, in hoc negotio conſpirent Patres, & *Africani* ſententiæ certatim ſubſcripſerint, hac planè de causâ factum videtur, quia melior, aut veroſimilis magìs, ipſis non ſuccurrebat difficultatis ſolutio; unde maluerunt ſequi illam, quàm apparentes contradictiones, aut falſitates in ſcripturis admittere. Unius verò errorem Authoris, facilè dimanare ad alios, nec mirum, nec novum eſt. Patet hoc luculenter in errore *Chiliaſtarum*, qui primitùs à *Papiâ* diſſeminatus, citò Orientem & Occidentem pervaſit, ſéque latiſſimè diffudit, ac *Irenæo*, *Tertulliano*, *Lactantio*, *Juſtino* Martyri, aliiſque obrepſit, tametſi Patres illi, ſatis vicini eſſent Apoſtolorum temporibus.

§. XI.

Sententia R. P. *Petri Poſſini*, quam ad diem 19 Martii *Hagiographi Antverpienſes* referunt, quatenùs convenit cum illâ *Julii Africani*, idem cum eâ

meretur judicium, eadémque ſubit fata. Sentit vir eruditus, non *Mathæum* Judæis ſcribentem, ſed *Lucam* gentium Evangeliſtam, carnalem *Joſephi* Genealogiam texere, *Mathæum* verò ſequi promiſſionis ſeriem, per legales ſucceſſiones continuatam. Sed obſtat omnino, quòd *Mathæus* conſtanter utens vocabulo : *Genuit*, abundè per totum orationis ſuæ decurſum declaret, ſe naturalem, quæ ſecundùm carnem eſt, *Joſephi* Genealogiam depingere. Præter hoc, & aliud, illúdque haud leve, laudata *P. Poſſini* opinio, patitur incommodum. Hac enim datâ hypotheſi, *JESUS CHRISTUS*, non ex *Davide* per lineam *Salomonis* regiam, ſed per ducalem duntaxat *Nathanis*, traheret originem, quod ipſum tamen Patrum traditioni unanimi repugnare conſtat.

CAPUT III.

Altera, quæ aliorum eſt, expenditur Sententia.

§. XII.

Aliam proinde repudiato *Julii Africani* ſyſtemate, concordiæ viam tentârunt alii, docentes S. *Mathæum* genus S. *Joſephi* paternum, & maternum B. Virginis *Mariæ*, deducere à *Davide* per *Salomonem*, *Lucam* verò genus paternum *Mariæ*, per *Nathanem*, alterum *Davidis* filium, referre ad eundum *Davidem*, hoc modo :

DAVID.

Salomon		*Nathan*
Mathan		*Mathat*
Jacob, Anna		*Heli, qui & Joachim*
		Annæ, maritus
Joſeph	*Conjuges*	*Maria*

JESUS.